Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 89
Quelle:
Copyright:

Pſalm ſkal ſeigia, pſalmum dicam &c. Singulari forma ſunt Librarii noſtri *f. k.* et *th.* neque multum differunt. Anno 1528. illata eſt *Iſlandiae* Typographia teſte *Finno Johannaeo* in *Hiſtoria eccl.* edita *Hafniae* 1772–75. qui etiam Indicem omnium ibidem impreſſorum Librorum texit. Atque hos inter comparent *Biblia* ad an. 1584.

LXIV.

C. 941 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 253. 4. charactere luculento exaratus, et auro, coloribusque, minus tamen ex arte ſplendidus *Pſalterium* e Parthenone *Halenſi* allatum continet, praemiſſo *Calendario* non adeo nominibus SS. turgente, in quo cum menſe Aprili: *Petri martiris de ordine fratrum predicatorum*, Majo: *Translatio beati Dominici*, Septembri: *Anniuerſarium familiarium et benefactorum noſtrorum* legas, credibile fit, *Codicem* pro quodam hujus Ordinis Coenobio primum ſcriptum fuiſſe, quo pertinet etiam *Fol.* 130. p. 2. icuncula Sodalem *Dominicanum* exhibens Feminae Principi, ut videtur, prae templi cujusdam foribus ſedenti, ejusque fortaſſe Conditrici, Codicem offerentem. Quibus ſi addas, in adjectis ſub finem *Litaniis* orari *pro Duce noſtro*, res *Tyrolim*, *Adelheidem*que *Alberti* Com. filiam *Meinhardi III. Gorit.* uxorem et Parthenonis *Steinach* O. S. *Dominici* fundatricem 1275. defunctam, Scriptionis vero tempus *Fridericum* aut *Sigismundum* jam ex *Auſtriacis* Duces ſpectare poteſt. Ipſum porro *Pſalterium* Icones *Chriſti* plagis notati, *Davidis*que citharam pulſantis deauratas et picturatas primae *Pſalmi* I. literae B. incluſas praefert; reliqua verſus 1. literis aureis uncialibus ſequuntur. Aliae Pſalmorum initiales literae diverſas picturas offerunt, in quibus inſtrumenta etiam muſica. A *fol.* 227. p. 2. adjuncta ſunt reliqua *Cantica* Biblica, Hymnus *Ambroſii*, Symbolum *Quicunque*, et OO. SS. Litaniae.

LXV.

R. 40 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 275. 4. charactere grandi pereleganter exaratus, literisque initiorum deauratis et picturatis ſpecioſus, *liturgicus* eſt, qui primo exhibet *Calendarium*, quod e quibusdam Feſtis ad *Belgium* referas, et in quo *Apparitio S. Michaelis* menſe Majo *Inuencio* dicitur. Succedit *Pſalterium* notato ſimul Pſalmorum uſu in Officio Chori, et ad hujus calcem non tam recte, quam pulcre minio: *Explicitum eſt pſalterium deo gratias continentem in ſe CL. pſalmos. Nunc uero incipiunt cantica qui per ferias dicuntur, et primo, ferie ſecunda, Canticum yſaie prophete.* His adjunguntur: *Canticum ſancti ambroſij et ſancti auguſtini de laudibus angelorum, Cimbolum fidei compoſitum per athanaſium epiſcopum*, et *Litaniae* OO.